Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 317
Quelle:
Copyright:

& hereticorum causas excluderent. — Fidocbusa episcopus grecorum sacrum earum ordinem composuit. Hieronimus conuertit eas. &c. Haec e Prooemio. Initium Epistolae I. est: *Jacobus. Cur a nomine iacobi incipit epistola? per metonomiam dicitur, ostendens per inuentum inuentorem. Ut uina coronant, cum uasa uini fecerint.* Sufficiunt haec, ut *Hilariaster* iste ad Seculum saltem VIII. amandetur, quo aevo nullus mihi notus *Hilarius*. Ad I. *Joh.* V. 7. 8. haec tantum notat: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant. id est incarnationis testimonium. Et tres unum sunt. id est unus homo corpore & anima & spiritu consistens.* Unde vides tractationem ejus brevibus *glossis* definiri, orthodoxis illis quidem, nusquam vero infelicioribus, quam ubi interpretationes hebraicas, vel graecas audet, v. g. *Epistola est eloquium, in latino tradita expositio. hieronimo dicente. epistolor. hoc est. expono. In hebręo. Euphuma.*

II. *fol.* 49. p. 2. litera unciali *Incipiunt Expositiones Venerabilis Bedę Presbiteri In VII. Epistolas Canonicas. Incipit Prologus. Jacobus, Petrus, Johannes, Judas septem epistolas ediderunt. quas ecclesiastica consuetudo catholicas, hoc est uniuersales cognominat.* Dabo totum istud Prooemium; video enim illud *Bedae* editoribus *T. V. Colon. 1688. p. 673.* f. defuisse. *in quibus ideo prima epistola iacobi ponitur, quamuis in catalogo apostolorum priores soleant numerari petrus & iohannes, quia ipse hierosolimorum regendam suscepit ęcclęsiam, unde fons et origo evangelicę predicationis incipiens per orbem diffusa est uniuersum, cuius cathedrę dignitatem etiam paulus apostolus in eo nominando uenerans ait: iacobus cephas & iohannes, qui uidebantur columnas* (sic) *esse; uel certe quia ipse duodecim tribubus israel quę primę crediderunt. suam epistolam misit, merito hæc prima poni debuit, merito petri secundę, quia ipse electis aduenis, qui grece dicuntur prosiliti, hoc est, eis scripsit, qui de gentilitate ad iudaismum, de iudaismo ad electionis euangelicę gratiam conuersi sunt. Merito iohannis epistolę tertio loco sunt positę, quia his scripsit ipse, qui de gentibus crediderunt. cum nec natura nec professione iudęi extitissent. Denique multi scriptorum ęcclęsiasticorum, in quibus est & sanctus athanasius alexandrinę prędul ęcclęsię primam eius epistolam scriptam ad partos esse testantur. Merito iude ultima est posita, qui quamuis et ipse magnus, tribus tamen præcedentibus apostolis minor est. Uel quia iacobi prima est scripta epistola, deinde petri, post eas iohannis, ideo nuncusque ordinem, quo scriptę sunt, retinentur* (sic). *Constat enim, quia beatus iacobus tricesimo post passionem domini anno suum consumauit martyrium, petrus tricesimo octauo, hoc est ultimo anno neronis passus est, et ipse in secunda sua scripsit epistola: Certus sum quod uelox sit depositio tabernaculi mei, secundum quod & dominus noster ihesus christus significauit mihi per reue-*